



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

Oratio Patrum spiritualium Pro Impetrando spiritu sapientiæ & prudentiæ  
in regimine animarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](#)

Præparatio

# ORATIO

## Patrum spiritualium

Pro

Impetrando spiritu sapientiæ,  
& prudentiæ in regimine  
animatorum.

**D**eus Patrum meorum, &  
Domine multæ miseri-  
cordiæ, qui fecisti omnia ver-  
bō tuō, & infinitâ sapientiâ con-  
stituisti hominem, ut domina-  
retur creaturæ, quæ ad imagi-  
nem tui à te facta est; tu elegisti  
me ducem, & Pastorem huic  
gregi tuo, parvo quidem, sed  
electo. Et ecce! ego servus  
tuus, & filius ancillæ tuæ, ho-  
mo infirmus sum, & exigui tem-  
poris, minórque ad intelle-  
ctum judicii, & legum. Tecum  
verò est sapientia tua, quæ novit  
opera tua; & adfuit tunc, cùm  
orbem terrarum faceres, & scie-  
bat, quid esset placitum oculis  
tuis, & quid directum in præ-  
ceptis



pro filiis Spiritualibus.

ceptis tuis. Da mihi sedium  
tuarum assistricem Sapientiam!  
Et noli me reprobare à servis  
tuis; quoniam & ego servus  
sum, & opus manuum tuarum  
omnes nos. Mitte illam de cœ-  
lis sanctis tuis, & à sede magni-  
tudinis tuæ, ut mecum sit, &  
mecum labore; ut sciam, qui  
acceptum sit apud te, & dedu-  
cat me in operibus meis sobriè,  
& custodiat me in tua potentia,  
ut sint placita opera mea, &  
disponam hunc populum tuum  
justè, prudenter, & sanctè. Sen-  
sum enim tuum nemo scit, nisi  
tu dederis sapientiam, & miseris  
spiritum tuum de Altissimis, &  
sic corrigantur semitæ eorum,  
qui sunt in terris, & quæ tibi  
placent, didicerint homines,  
Nam cogitationes mortalium  
timidæ, & incertæ sunt provi-  
dentiæ nostræ. Domine! tu scis:  
an hos spirituales filios Regni  
dilectionis tuæ prædestinaveris  
à prin-

**Confortamenta pro filiis &c.**

à principio. Si cui sunt, ego pro eis rogo, sanctifica, & salva eos in Nomine sancto tuo. Crescent in laboribus meis; fœcudentur autem, & fructificant in benedictionibus tuis. Sit, & fiat in eis voluntas tua, & exerceantur cum gaudio in justificationibus tuis; quoniam gloria virtutis eorum tu es; & in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum. Utere autem Deus meus! Operâ meâ, & voluntatem tuam perfice in conatibus meis. Fac me vivum dexteræ tuæ! & custodi me, ne deficiam aliquando inobedientia mea. Tu interimage, ut ex his, quos dedisti mihi, non perdam quemquam. Ah! Domine Jesu! per illa quinque SS. vulnera, quæ amor nostrum tibi inflxit in Cruce, quæsumus, tuis famulis subveni, quos pretioso Sanguine redemisti.

Amen.

**Accef-**

